

ferebat secum incommodum. Sicut enim ad claudendam exactè valvulam erat accommodus elater ille ; ita recludendæ postmodum eadem vi obnitebatur, cum recipiens fermè exhaustum & aëris residui vis expansiva valdè imminuta esset. Quamobrem, ut etiam debilitatus aër aperire tamen, adducto pistillo, valvulam possit, elaterem illum removimus & valvulæ conum parari fecimus paulò latiore & ponderosiore, ut à solo suo pondere retrorsum in matricem facilè repelleretur. Hoc modo non superavimus tantùm difficultatem ante memoratam, sed hoc insuper commodi sensimus, quòd inserto nunc per G & N digito valvulæ dictum conum pro arbitrio ac liberè intra matricem suam convolvere possimus, ne uni suo lateri perpetuò incumbens, & ex ea parte magis attritus, rotunditatem paulatim deperdat & matricem postea non satis exactè expleat: ex opposito verò, cum solum ejus pondus non ita fortiter nunc, ut antea elater adjunctus, eum in sæpeditam matricem intrudat, fit ut aëris à pistillo depressi particula quæpiam subito circa coni latera per valvulam H retrò per N & G in recipiens erepat antè, quàm exactior ejus clausura ab ipso illo aëre premente subsequatur. Ita pristinam antliæ nostræ fabricam emendare quodammodo & perficere studuimus (eam etiam pistilli partem M, quæ olim valvulam abscondiderat, exiguo foramine pertundentes, per quod infusa supernè per L aqua, clauso postmodum hoc ingressu, guttatim excuteretur ad corium infra M sensim humectandum aëremque externum certiùs excludendum) tametsi ne sic quidem, quod aliis quoque contingit, effugere difficultates omnes potuerimus.

V. Nova porrò Antliæ accessio est orbiculus orichalceus satis solidus ac robustus ac supernè torno probè complanatus, diametro suâ 7. pollices Rhinlandicos adæquans, infernè verò canalem FE itidem ex Orichalco adferruminatum